DE PRAECIPUIS MEDICI DOTIBUS AC OFFICIIS DISSERTATIO INAUGURALIS...

Domenico Moro

DE PRAECIPUIS

MEDICI DOTIBUS AC OFFICIIS

Dissertatio Inauguralis

QUAM

AD MEDICINAE LAUREAM

IN ANTIQUISSIMO AC CELEBERRIMO

C. R. ARCHIGYMNASIO PATAVINO

RITE ASSEQUENDAM

PROPONIT

DOMINICUS MORO

FOROJULIENSIS EX QUADRUVIO

PATAVII

TYPIS SEMINARII

MDCCCXXXVIII

Si medica ex una parte respicitur scientia, quae, cum generosiores inter ac beneficentissimas merito conscribatur, eorum amorem qui magnanimis sensibus praediti sunt, sibi conciliat; ex alia, quousque Tullii manebit sententia: *Ad rem gerendam autem qui accedit, caveat, ne id modo consideret quam illa res honesta sit, sed etiam ut habeat efficiendi facultatem,* nunquam sane negabitur, eos solummodo medicinam facere debere, quibus natura idoneas largita est dotes, ut et discant, et debite scientiam, ditissimam cognitionum messem reposcentem, vastissimam proinde atque difficillimam tractent. Hujusce veritatis persuasi, plures habentur celeberrimi viri, qui de medico individuo non pauca protulerunt scripta, et nemo pro certo datur qui eidem ipsi operam non dederit. Quapropter hisce nixus, dissertatiunculam inauguralem, de praecipuis medici dotibus deque praecipuis ejus-

dem officiis pertractantem, conficere statui. Humanitas, qua faustissima hacce die, licet immerito, me cohonestatum experior, animum addit ac spem, fore ut vos, Professores clarissimi, cum opus viribus minus accommodatum susceperim, incompta mea verba aequi bonique sitis facturi.

Praecipuae medici dotes.

Omnes inter qui liberales artes vel gravissimas scientias profitentur, tanta non requiritur, quanta pro medico, physicarum proprietatum excellentia. Et sane ubi consideretur, quod medicus, qualibet hora, ubicumque ejus desideratur adventus, opem ferre, ac saepius cum aegri, parabolani, vel parentum praestigiis artisve tricis conflictari debeat; quod interdum disquisitiones ingratas, cadaverum puta sectiones, vel etiam periculo plenas, contagiosi ver. gr. morbi therapiam instituens, suscipere cogatur; quod demum domum regressus requiescere non raro nequeat ex gravissimis meditationibus, quas difficile suum munus expostulat, concludendum quidem erit, ipsum tot laborum periculo resistere haud posse, nisi firma constantique valetudine fruatur. Praeter valetudinem, ubi ad medicum-chirurgum mentem vertamus, ut membrorum et vel maxime manuum agilitate ac firmitate polleat, pluri-

mi interest, quippe dotes haece praecipuum sistunt fundamentum ad sic dictam *chirurgicam dexteritatem* comparandam, in quavis operandi methodo non dumtaxat utilem, sed eo magis necessariam, quoniam multarum operationum ultimus fortunatus finis ab eadem non infrequenter dependeat. Celsus palam jam fecit: *Chirurgum juvenem, numquam aetate gravatum, firma aptaque manu, non tremebunda instrui, atque pari cum agilitate tam dextera quam sinistra uti oportere*. Quod si unumquemque ad scientias artesque incumbentem exquisita sensuum normalitas decet, haec medicum magis magisque decet, qui artem observationi et experientiae rerum extra se obvenientium nixam profitetur. Et revera quoad gustatus organum, quam crebra medico objicitur opportunitas, ut simplici degustatione ream vel optimam medicaminum indolem agnoscat! Etiam pro aliquorum morborum confirmanda diagnosi facit gustus, cum, ex. gr., nonnisi ab urinarum dulci sapore mellites diabetes rite comprobetur. Quoad olfactum, foetens peculiaris odor interdum de ossium deque organismi cavitatum profunda laesione medicum reddit certiorem. Plurium praeterea exanthematum evolutio a specifice olida transpiratione praenuntiatur, uti acidus halitus, praesertim in puerperis, miliarium nuncius. Olfactus denique

aequae medicamentorum cognitioni non parum contribuit. Ante enunciatos vero, oculorum acerrimus sensus, ut diagnostica complura pathognomonica morborum symptomata rite et colligat et existimet, quam maxime medico convenit. Quo pacto enim et agnoscere et discernere efflorescentiarum cutanearum formam adamussim valeret, nisi prompta atque exculta intuendi facultate donaretur? Affectionum pariter mirabile visionis organon mulctantium justa cognitio (aliquas puta cataractae complicationes, glaucoma incipiens, ulcerum characteres etc.) non aliter quam ex visu acuto elici ut plurimum potest. Iritis insuper syphilitica et arthritica simplici intuitu, licet anamnestica deficiant momenta, sese interdum medico pandit. Tandem vel quantum in morborum indole detegenda non affundunt luminis faciei commutata lineamenta! Hac ratione summus Morgagnius in amici Valisnieri vultu non dubia instantis mortis signa reperit, dum ceteri medici, vaticinium Morgagni fere irridentes, affectionem flocci faciendam tantum agnoscebant. Auditus pariter pro medico praestantia satis patet, cum frequens occurrat occasio multifarios sonos per percussionem, temporibus nostris valde excultam, in morborum vel pectoris vel abdominis examine elicitos distinguendi, ac peculiares vocis aut loquelae computandi muta-

tiones, quae a palati mollis, faucium, laryngis, vel, aliquibus in casibus, genitalium organorum affectionibus inducuntur. Sed magis adhuc de ejusdem sensus utilitate optime instructi emolumenta, si perpendantur, a mediata auscultatione emergentia deponunt. Non latet quidem Rostan, propria ductum experientia, auscultationem, tubi laenneciani ope, et summe difficilem et defatigantem atque solidis diagnoseos elementis statuendis ineptam declarasse; nemo tamen unquam negabit, quod ceteris consociata phaenomenis, mediata auscultatio non parum conferat, ut pleurae, viarum respiratoriarum, vasorum majorum et cordis ipsius affectiones melius innotescant, quin imo in quibusdam occultis aut larvatis pneumoniis unicam fere diagnoseos basim sistat. In obstetrica deinceps arte, nonne certum de vitalitate fetus praebet judicium, si per stethoscopium cordis pulsationes percipiuntur? Tandem quod ad tactum attinet, sensum quoque istum percellere, ex eo eruitur, quod jam examini morborum sine dubitatione omnium organismi viventis optime inserviat. Nonnisi enim per tactum frequentissimae morbosae anomaliae, quae sive in cutaneo textu, sive in vasorum atque cordis pulsationibus contingunt, dignoscuntur. Quanti praeterea momenti est tactus in cellularis subcutanei, muscu-

lorum, viscerum abdominalium aliorumque, nec non tumorum, fracturarum, luxationum etc. innormalibus mutationibus perlustrandis? Quibus addi potest, idem organon adminiculum tutius et juxta Malacarne potissimum fundamentum pro obstetricia evadere.

Cum autem medicina omnino rationalis ars dici mereatur, prae physicis mentales dotes a medico exposcuntur. Et hic natura larga manu divitias suas diffundere illis deberet, qui Hygieae artis exercitio sese deditos confitentur. Cuncta creata, exclamat clarissimus De-Filippi, si ab humano intellectu hoc fieri posset, medici investigationes ac elucubrationes essent amplectendae! Et revera universae naturales scientiae non parvum medicinae lumen adferunt, nonnullae imo essentiales hujus bases constituunt. His adde vastam medicae praxeos aream, quam peragrando intellectus quam robustissimus defatigari posset. Quo igitur pacto medicus tam ditissimam et perarduam scientiam capere apte valebit, nisi cum alacri contemplandi facultate memoriam simul teneat excellentem? Quod si celeberr. Zimmermann adseruit, exiguam medico sufficere memoriam, difficile talis reciperetur opinio, ubi non admittatur, ipsum, uti probabilius, majorem sic pro acri et intelligenti judicio necessitatem ostendere voluisse. Nemo enim inficias ibit,

medicum in hacce dote potius, quam in illa magis excellere debere; quippe si diversissimas ac innumerabiles ideas, quas sibi comparare convenit, prompte discernere ac coordinare sciverit, non tantum memoriae suae mirabili modo succurret, sed utiles quoque observationes nec non experimenta rite existimabit, ac sequelas exinde fluentes melius custodiet. Ad hujusmodi vero finem consequendum, praeter judicium firmum, sublime quoque expedit ingenium; quibus dotibus exornatus medicus, in discrepantibus sententiis sese dirigere, et eas solummodo accipere poterit theorias, quae ab observationibus et experimentis rite institutis deductae fuere. Namque in alacritate et capacitate ingenii atque in solida judicandi facultate germen positum est, ut ita dicam, illud quod scientifica cultura fecundatum, medicum genium producit. Verum relatae et physicae et intellectuales facultates, cum nonnisi a fausta dispositione proficiscantur, in tenebris quasi laterent atque inanes evaderent, ubi congruum deficeret exercitium. Quapropter scientifica educatione medicus eget, et principales dotes, quae ipsum scientiis imbutum declarabunt, eruditio, experientia atque philosophia numerantur.

Medica eruditio in facta rerum omnium ab arte propositarum cognitione consistit, quae

morbis praecavendis nec non praesentibus apte debellandis inserviunt. Nemo sibi persuadere cunctabitur, hanc medico summae necessitatis esse, si perpendat, ipsam idearum ditissimam scaturiginem praeparare. Absque eruditione sagacissimum quoque ingenium facile aberraret; observationes enim et experimenta, quae scientiae cujusvis et vel maxime medicae fundamentum statuunt, nec ab uno individuo, neque parvo sane temporis spatio colliguntur, sed complurium virorum praeclarissimorum molimina noscuntur, qui totis viribus in medicina paranda quamplurimum elabbrarunt. *Non in humano profecto ingenii acumine,* ait Baglivius, *sita est ars praestantissima, quam diligens et accurata et sagax notatio naturae atque animadversio peperit; sed potius variis cujusque aetatis doctorum laboribus coacervata sapientia dicenda est, hominumque multorum mens in unum quasi collecta.* Sed eruditionis necessitas se prodit uberius, si emolumenta perspiciantur, quae per eandem dotem tum in medicae artis exercitio, tum in ejus perfectione redundant. Medicus enimvero, qui indefesso labore operam omnem in doctrina comparanda collocaverit, experimentis simul, observationibus ac judiciis ab aliis factis edoctus, facilius suum exponet judicium, et melius ac promptius ratiocinationem

instituet atque semper paratus erit, morbosos eventus cognoscere, iisque apta objicere pharmaca. Plures dari quidem in medicina opiniones discrepantes negabit nemo, quibus ubi medicus adnuere vellet, pro certo in proferendis judiciis non parum haesitaret; attamen cum perpendatur, auctores quoque dissentientes quoad theoriam pro morborum therapia facienda eadem ipsa communiter proponere subsidia, atque et inter medicorum sectas multos inveniri in nullius sententiam euntes, quorum scripta propter integrum scientiae amorem plurimum sese commendant, medicus eruditione excellens, qualicumque in casu, tutius tenebit iter. Eruditio insuper progressus ac semitas ostendit, quibus scientia quaevis aut ars incrementum suum assequitur vel assequi potest, nec non germina praebet, ut nova emergant, unde merito cum doctissimo Zimmermann concludere placet, eruditionem verum medici philosophi constituere thesaurum.

Experientia pariter inter medici dotes jure recensetur, ea scilicet facultas, quae morbos praecavere, praesentes cognoscere, eosque rite curare indigitat; et haec merito supremum tenet locum atque medico maximi profecto habenda, cum ab ipsa rectum artis exercitium unice dependeat; quin etiam perfectionem, ut ita

dicam, medici constituat. Et revera omnes ceterae proprietates simul concurrant est necesse, ut bona experientia praeditus medicinae cultor dicatur. Verum quidem est, hanc non aliter quam protracta atque rite instituta exercitatione acquiri posse; siquidem, ut verbis clariss. De-Filippi utar, *speciales individuorum constitutiones, morbi et remedia tam subtiles, adumbratas (sfumate) ac multiplices praeseferunt formas, quae, lectionibus omnibus invitis, aeque computare ac explicare minime possunt, nisi longae ac probae observationis ope;* nihilo tamen minus inconcussa manebit veritas, jam dictas leves mutationes nonnisi sensus excultos attingere, nonnisi intelligendi prompta atque valida facultate expendi posse, tali nempe intellectu, qui eruditione ornetur, et sana philosophia dirigatur.

In postremam tandem medici dotem modo inquirentes, in philosophiam, eam intellectus institutionem, quae debite ad verum investigandum dirigit, essentialem adeo pro medico agnoscimus, ut ipsa deficiente; et eruditio et experientia notiones tantum inefficaces, futiles et non raro praxi damnosas tradant. *Philosophia,* inquit Cicero, *ab animo tanquam ab oculis caliginem dispulit, ut omnia .... prima, ultima, media videremus*. Si res in medicina extant rationa-

lem hucdum explicationem haud admittentes, hoc a vera philosophia repeti debet, quae inanes theorias prohibens, in observationibus insistendum esse jubet, nec non speciminum comparationem aequamque computationem, ut veritas deinde eluceat, commendat. Nullum adest dubium, praecepta ab hac scientiarum matre proposita ad medicinam tum theoricam, tum practicam maximi fuisse adjumenti; quapropter medicus philosophia sit optime imbutus, cujus lumine jugiter dirigatur.

Dotes hucusque explanavimus ad rectum Hygieae artis exercitium magnopere conferentes; modo eas propius, quae medicinae cultorem magis magisque cum hominum societate conjungunt, perpendere juvat. Inter has sane fides, spectata integritas, commiseratio, urbanitas aliaeque complures numerantur; sed hic de religione, virtutum omnium et moralium et socialium veluti fonte, loqui sufficiat. Natura sua cor ad religionem ducitur, cujus necessitas vel maxime patet, si ad hominem vitam socialem agentem convertatur attentio. Medicus hinc amplissimum in societate gradum tenens ante alios, moralitatis omnis matre, animi et cordis moderatrice, arctisque in rebus unico fulcimine, religione scilicet eget. Ille enim saepissime, cujuscumque hominum generis, non dumtaxat physicorum ma-

lorum, sed et moralium affectuum depositarius ac consiliator erit. Quibus in circumstantiis, si nulla religione teneretur medicus, in causa summopere foret, cur, fractis socialibus vinculis morum, simul pravitatis germina diffunderentur. Sed magis adhuc sanctissimum illud munus demonstratur, ubi eventus medicae praxeos exercitio occurrentes computentur. Medico enimvero non raro continget, homines antea hilares et felices, ilicet insigni obrutos miseria; nunc dira atque lentissima cum morte colluctantes; interdum deliros, vel ultimum fidei solatium respuentes, vel ardentissime implorantes adspicere. Talibus idcirco in casibus, quo pacto atheus medicus aequos expromere sensus, miserrimam aegri conditionem condolere, eique succurrere posset, si corde impio, et jam jam occumbentis naturae extremum inclamantis. auxilium vocibus alieno instrueretur? Medicus, inquit celeberr. Gregory, cujus mens, infelici quodam fato, adeo obcaecata est, ut ipsi nulla in futuram vitam relinquatur fides, dummodo sensus integros servet, opiniones suas aegris caute celabit, perinde ac si a pestifero morbo praeservare vellet. Quibus omnibus adjicere fas est, nullam, quam ipsam medicinam, artem vel scientiam dari, tantam moderationem ac virtutum moralium copiam exposcentem. Sola igitur religio efficiet, ut medicus offi-

ciis sibi a societate commissis alacritate et virili prorsus constantia fungatur. *Medicus sit christianus,* scripsit immortalis Hoffmann, *non tantum ore .... sed etiam operibus;* et praeclarissima exempla Harvei, Sydenhami, Boerhaavii, Ramazzini, Hoffmanni, Lancisi, Valsalvae, Redi, Morgagni, ut de tot aliis taceam, medicinam ac philosophiam religioni quam maxime favere comprobant, atque in perpetuum vera manebit Baconis sententia: *Leves in philosophia haustus movere fortasse ad atheismum, pleniores haustus ad religionem ducere.*

Reliquae dotes, quibus exornari deberet medicus, quoniam cum ejusdem officiis strictum servant nexum, in sequenti capitulo relegantur, ubi de praecipuis specialis sermo habebitur.

Praecipua medici officia.

Prae cunctis artes vel scientias colentibus, medicus, propriis perfungens muneribus, hominum societati alligatur. Hygieae enim artis finis eo tendit, ut individuorum, quotquot existunt, salus servetur, redonetur amissa, atque longius vitae duratio, quousque licet, protrahatur. Homo hinc et sanus et aegrotus a primo ortu ad sepulchrum usque studiorum medici objectum sistit. Cum autem cujusvis individui integra valetudo non

parum pro societate valeat, gravissimum exinde patet medici munus quibuscumque, speciatim aegrotis, auxilium ferendi, statim ac ejus optatur adventus. Majus deinceps minusve in morbo periculum celeritatem invocati subsidii melius determinabit. Indignum utique et indecorum summopere foret, si medicus vel propter contagii contrahendi timorem aut pecuniae desiderium, vel ob peculiarem in aegrum aversionem, aut alias ob causas a munere suo absterreretur. Hinc in morbis pestiferis, contagiosis prudenter sit audax, modeste erga divites laboribus suis satisfacientes sese gerat, cum amicis benevolus, cum pauperibus misericors, cum inimicis generosus, atque a vulgi superstitionibus sese attollens benignum erga omnes animum ostendat. Aeger ad sui benefactoris adspectum quo studio ac quanta sinceritate cunctam affectionum suarum seriem non exponet? Libenter intimas cordis latebras deponet, atque spe dives medicum sollicitus audiet, cujus opinionem facilius amplectetur. Quae omnia, quis non intelliget, quantum in sanitatem restituendam influant?

Sed difficillimum summeque momentosum medici officium in aegrorum visitatione consistit, quae aegrorum examine, morbi diagnosi, prognosi atque therapeuticis praescriptionibus expletur. Examen maxima cum diligentia atque ju-

dicio instituendum est; etenim ab ipso causarum et morbi cognitio atque curativa methodus praeprimis pendet. Quamobrem medicus aegrum suum interroget et sollicitet, ut rationem qua morbus ingruebat ac evolvebatur, nec non phaenomenorum omnium seriem ipsi exponat. Monendum autem hic est, quod, licet aegrotantium verba communiter eloquentius ac simplicius naturam infirmam demonstrent, nihilominus pluries vel pudor aut stupiditas, confusio, ignorantia, ignavia, superstitiones, cujuslibet therapiae aversio, morbi gravitas et similia, obicem ponunt, ut medicus, potiusquam ejusdem aegri, aliorum attestationem accipiat, ac per proprios sensus phaenomenorum recognitionem faciat. Inficianda quidem non est utilitas summa quae ab illorum adsertis aegrum assidue circumdantium proficiscitur, praesertim si isti symptomata perbene adnotare sciant. In aliquibus casibus imo hic unicus existit fons cui diagnosis innititur. Sic, ut exemplo utar, quo pacto, si medicus aberit, ea cognoscerentur, quae, durante epileptico aut hysterico insultu, durante sopore aut delirio, sive maniae accessu acciderunt? Soli reapse parentes ac parabolani modum referre queunt, quo vigilia, somnus, aegri sermocinationes, desideria, electa corporis positio, membrorum et motuum energia, quantitas ac se-et-excretionum

qualitas etc. procedant; quae omnia maximam circa indolem, progressus et morbi mutationes lucem affundunt. Sed in relationibus computandis summa medicus circumspectione utatur; vetula enim superstitiosa, parentes admodum officiosi juxta praeconceptas ideas vel proprium observandi modum narrant, et parabolani negligentes non raro veritatem dissimulant et plura effingunt, ne veluti incuriosi reprehendantur. Quapropter, quantum fieri potest, medicus proprio examine eorum, quae vel aeger accusat, vel circumstantes deponunt, certam sibi cognitionem acquirat. Res ab ipso medico collectae pro certo ad veritatem proxime accedunt, inter quas tamen firmissimae solummodo eae sensuum ope expromptae reputari debent. Utinam medicus cuncta oculis perlustrare posset! Quam facilior tunc praxis redderetur! Ast si in aegri examine aliorum indiget concursu, eidem tamen inhaeret officium adsertis nimiam fidem nequaquam praestandi, sed, quousque fieri licet, propriis sensibus cuncta investigandi. Quamvis autem in examine summam exactitudinem ac diligentiam impendere debeat, caveat ne aegros vel praesentes futilibus interrogationibus, taediosis ac vacuis sermocinationibus fastidiat; sed sui ipsius et scientiae decori, cultura, gravitate atque sapientia, prospiciat. Ut primum medicus symptomatum

seriem sibi comparaverit, et praecipua momenta in morbum influentia memoriae fixerit, quemadmodum sexum, temperamentum, aetatem, vitae conditionem, corporis constitutionem, consuetudines, idiosyncrasias, anni tempus, regionem, stadia et morbi terminationes, causas patentes ac probabiles, remedia adplicita eorumque effectus et similia, ad diagnosim transire debet. Haec utique in multis morbis facile patet; in aliis e contrario magis incerta, obvelata, indefinita, imo penitus abscondita evadit, prout de malis simulatis, dissimulatis vel complicatis agitur. Hisce omnibus et similibus in casibus maxima attentio et perspicacia, prudentia semper duce, requiritur.

In prognosi quoque difficultates multae obveniunt; nihilo tamen minus medici est ipsam mente jam antea concipere, atque aegri et domesticorum postulatis satisfacere. Medicus quidem interdum magna cum probabilitate faustam relinquere prognosim poterit, sed non raro dura tenetur necessitate probabile vitae periculum, et vel maxime instans, vaticinandi, cum id et justitia et charitas et religio expostulent. In vitae discrimine igitur candide omnem spem, sua dubia, suos timores medicus explanare debet, ita tamen, ut monente clariss. De-Filippi, aegro pejor prognoseos pars dissimuletur; parentibus cete-

roquin vel familiaribus minime deneganda. Quoniam autem expertus forsan medicus non existit, qui mirandis morborum jam conclamatorum solutionibus vel periculis subitis simplicissimas at larvatas malorum formas insequentibus non percellatur, sic in plerisque prognosticis relinquendis semper scite et prudenter rem tractet.

In medendi methodo statuenda medici est non tantum pharmaca ordinare, verum etiam regimini magis proprio attendere. Quoad therapeuticas praescriptiones non sufficit quod medicus id seligat, quod scientia praecipit, ast juxta varias circumstantias remedia accommodare debet. Animus enim aegrorum inquietus, difficilis, pavidus, usus, aversiones, mollities etc. ut medicaminum formulae modificentur, eorumque ingratae qualitates corrigantur, jubent. Munus praeterea medici est, aegrum, parabolanos, aliosve apte modum ac tempus, quo pharmacum suscipi decet, nec non probabilem ejusdem effectum edocere. Incuria enim in primo casu plurium malorum origo esse potest, et in secundo vomitus ille aut diarrhoea, exempli gratia, jam a medico promota et optata anxium ipsum aegrum ceterosque non praemonitos reddet. Quod ad regimen attinet, medicus animi aegrotantis tranquillitati prospiciat, simulque ad corporis quietem et motus magis congruos aliosque, et potis-

simum ad diaetam, quae therapiae cujusvis pernecessarium constituit momentum, mentem convertat. In genere si rigidus in diaetae ordinatione, cum praesertim de affectionibus peracutis agatur, esse debet, prudenti tamen indulgentia in aliis omnibus utatur, et maxime si peculiares idiosyncrasiae, habitudines vel aetas id exigunt; quae omnia consulte jam antea a medico expendenda sunt.

Plurimi quoque interest in sua visitatione medicum serenam faciem atque tranquillam servare, animique motus, rebus pessime cedentibus, reprimere. Ipsi non raro continget, ultimum vel amici, vel parentis, vel patrisfamilias, vel maecenatis fatum videre, postquam incassum artem suam, labores, amicitiam vel charitatem impendit. Tali in rerum discrimine nisi proprium moderetur temperamentum, ejus intellectuales facultates pessum ibunt, neque poterit illud, quod peragi convenit, discernere, et hinc facile in errores incidet. Aeger qui a conturbato medici vultu judicium depromit, timore valde exitioso afficietur. In adversis igitur, rursus clariss. De-Filippi opinioni assentimur, forti magnoque animo sese medicus demonstret, animo nempe illo, quem Cicero veluti typum strenuis viris adscribit: *in adeundis periculis,* dicebat ille, *consuetudo imitanda medicorum est.* Sed talis sese gerendi

mos a severitate atque illorum indifferentia longe abstineat, qui animo sensus experte, miserandis quoque in rebus, instruuntur. In periculis versans, semper medicus laboret, ut adflicto majorem opem ferat, et sic animum sine fragilitate sensibilem, sine abjectione affabilem, absque studio gravem praeseferat. Verum non in contraria dumtaxat, sed in secunda quoque sorte sese gerat sapienter. Illo mane, quo cubiculum intrans jam ablati periculi signa reperiet, vultusque adstantium hilares ac laetos, nec non aegrum ipsum pristinae jam physiognomiae inspexerit restitutum, qui aliquot horis placidum somnum dormiens in suum liberatorem oculos insolita voluptate micantes figet, illa dies, inquam, perpessas aerumnas oblivioni tradet atque animum talibus, verbis non exprimendis, deliciis imbuet. Quod si perpendatur spes quam maxime allicientes illico evanescere posse, cui non patebit, quanta cum circumspectione et prudentia sese gerere, omni in casu licet fortunato, medicus debeat?

Occasiones occurrunt in quibus medicum alius medici in arte magis provecti opinionem amplecti decet. Cum in morbis obscuris periculosis, vel longioris durationis institutam therapiam optato fini non satisfacere curator observat, suum est consilium quaerere, quod vel maxime tunc accipiendum, ubi ab aegro vel familiaribus pro-

ponitur. Erga consulentem talem urbanitatem, aestimationem et confidentiam demonstret, quae ipsius doctrinae ac honestati competit, et tali modo erga eum se gerat, quo ipse similibus in circumstantiis tractari vellet. Sui praeterea muneris est narrationem brevem, morbi decursum, causas patentes, phaenomena hucdum occurrentia, morbi mutationes, si fors contigerunt, simulque therapiam in usum tractam exponere. Narratione jam facta, ratiocinationem circa ideas de casu praesenti conceptas praebere poterit, unaque ea referre quae in posterum perficienda sibi proposuerat. Debet deinceps consulentem omni patientia exaudire, ipsumque illo momento tanquam judicem considerare. Quod si opinioni non assentiatur, dissensionis causam explicet. Omnes quaestiones ingenui animi fructus sint oportet, nec alio nisi in aegri salutem dirigantur. Quantum revera dedecoris medico cederet, si ipse ad aegri atque parentum et amicorum praesentiam scientificas ac inutiles quaestiones jactare vellet, eo scilicet consilio, ut propriam ostentaret eruditionem, vel praedilectas opiniones sustineret! *Vult sanari patiens, non doceri,* celebr. ajebat Macoppe, et doctiss. Bufalinius, consultationem orationem non esse, in qua humanae jactationes in conflictum veniant, nec esse ingenii fastum atque scientiae superbiam par-

tes, quibus medicus magis eluceat; beneficam natura sua salutarem artem evadere; benigno quoque animo medicinam facientes instrui oportere.

Verum limites trasgrederer, quibus meam dissertatiunculam circumscribere proposui, si medicum quovis in eventu sequi vellem. Illi reapse pluries continget cum fanaticis, hypochondriacis, valetudinariis arduum facere patientiae periculum; cum injustis ac iniquis salutatis artis irrisoribus, vel improvidis agyrtis animi fortitudinem ac prudentiam experiri; in diris atque vastantibus epidemiis heroicae virtutis luculentum praebere argumentum; in criminibus, irae, odii ceteraeque hominum perversitatis victimas aeque ac ingenue examinare; domum cum egenti hominum genere magnanimitatem ac generositatem ostendere. Quibus omnibus in circumstantiis et in ceteris similibus medici praecipue erit salutaris artis honori, cum moderatione, sapientia, fortitudine et humanitate prospicere.

THESES DEFENDENDAE

I.

Nemini major quam medico sapienti competit aestimatio.

II.

Arsenicum a medicamentorum numero excludi deberet.

III.

De veneficio arsenicalium ope patrato aequum deficeret judicium, nisi arsenicum in metalli vel hydrureti formam redactum sit.

IV.

Multa, at dubia, pro arsenicalibus venenis laudantur antidota.

V.

Virtus medicaminum electiva a specifica summopere distinguenda.

VI.

Quo perfectior medica scientia evadet, eo pauciora pharmaca specifica numerabuntur.

VII.

Medicus nec mere ecclecticus, nec mere systematicus esse potest.

VIII.

Quod sagax naturae scrutator sentit, verbis interdum exprimi non potest.

IX.

Hinc sententiae a medico ingenioso ac exercitato prolatae, non qua naturae, sed potius artis inspirationes habentur, productum videlicet mentis aeque computantis sistunt.

X.

Mania necessario includit delirium.

XI.

In puerorum tum physica, tum psychica educatione praestans physiologus ante alios praeferendus.

XII.

Major bilis copia in repletum quam in vacuum intestinum effunditur.